



HYMNVS  
TABACI  
*autore*  
*Raphael*  
*Ithorio*



Romeo Eloy Sculp.

No Arco de Cego



LXXX

Y

W



**RAPHAELIS THORI**  
DE  
**P A E T O S E U T A B A C O**  
**C A R M I N U M**  
**L I B R I D U O ,**  
**I N P A E T I S U G O R U M G R A T I A M ,**  
**A E Q U E A C P R A E C I P U E C O L E N T I U M**  
**S O T E R O P O L I T A N I S B R A S I L I A E I N A R V I S ,**  
**D E N U O T Y P I S C O M M I S S I ,**  
**C U R A N T E**  
**F R . J O S E P H O M A R I A N O V E L L O S O .**



**U L Y S I P O N E ,**  
**T Y P O G R A P H I A D O M U S C H A L C O G R A P H I C A E , A C L I T T E R A -**  
**R I A E A D A R C U M C A E C I .**

---

M. DCCC.

*Cum permissu Regio.*



~~COMPRA~~

206142

ЯАПАИЕЛІС ТНОРІ

д

18419

В А Б А Г О Т Е С Е У Т А Б А

Г А Р М И Н У М

Д И Е Р И Д О

О М Н И В У С Р А Е Т И - С У Г И С.

Morbifugæ vires plantæ , miracula stirpis  
Cælitus ostensæ , partes diducit in omnes  
Thorijs , et primo sumos orditar ab ovo.  
Vos quibus ad Pætum vigilanti stertere naso  
Fumigerisque placet replere vaporibus auras ,  
Ore favete omnes , cœlo delabitur alto  
Planta beata , udo non aspernanda cerebro .  
Sellicet in mediis habitat vis enthea sumis ,  
Et parvo ingentes clauduntur cortice vires .  
Ludrica narrantur , sed et hæc quoque seria ducunt ,  
Veraque sub ficto latitat sapientia Pæto .

LUD. A KINSCHOT.

У Д Й С И П О Н І

БІОДЕНІ ДОУСІ ОГАДОЧНАІЦУ , ВА ЛІТТЛІВІ  
НІВАД АРДУН ГАРДУ

М. 1860

Ом барніан язиг

L E C T O R I.

B Iennium fere est , Amice Lector , ex quo venustissimum de Pæto opus , a quibusdam tamen vel incuria vel potius inscitia , distortum , neque parva sui parte mutilum , in manus nostras incidit : quod cum plurimorum calculo approbaretur , et exquisitissimis quorundam se palatis approbasset , nullo modo diutius premendum nobis videbatur . Cæterum cum emendatiū exemplar hactenus deesset , ab autore , licet nec de facie tum nobis noto , petere illud non erubui . Qui , ut est mirifice humanus , voto ac petitioni nostræ protinus subscrispsit . Itaque exemplar , partim ad incudem revocatum , partim media plus

parte auctum, ad nos misit. Cui comites,  
festivitatis atque urbanitatis plenissimas,  
adjunxit. Litteras nimirum: quas editioni  
huic si præfationis vice in ipso limine præ-  
mitterem; neque abs re, neque abs argu-  
mento alienum me facturum arbitrabar.  
Absit enim, ut labores aliorum mihi puti-  
de adscribam: absit ut vel in mustaceo lau-  
reolam, vel gloriam ex fumo quærām. Au-  
tor operis est Raphael Thorius, ut Medicus,  
si quisquam hodie, præclarus, ita et  
Poeta non vulgaris. Argumentum quidem  
leve ac ludicum videtur, verum quod a  
tali Medico tractatum, non delectat modo,  
sed et docet. Nisi si quis viro summo Fra-  
castorio Siphyliden objicere audet, qui ex  
argumento prope infami famam sibi pepe-  
rit: et talem quidem, qualem nec ex arte  
Medica, si eruditis fides hic habenda. Nisi  
quod ex eadem arte illud, cum qua felicis-  
sime poesin junxit. Pæti originem accep-

tam

tam Bacco ferri hic videbis. quam apposite, non possunt, nisi fallor, ignorare, qui  
*Plerumque alternis admiscent pocula sumis.*  
Tu, Lector, fave operi ac fruere, et, ubi  
interiore Pæti nota animum subinde re-  
creaveris, versiculi istius memor esto,

*Usus habet laudem, crimen abusus habet.*

LUD. A KINSCHOT.

D.

11

# D. LUDOVICO A KINSCHOT

S. P.

**P**RO tam insperato bono gratias ago, ut possum, maximas, Vir Clariss. non tibi tantum, sed et viris magis D. D. Rutgersio et Heinsio, quod inter vos opipare sum epulatus; non ut conviva solum; sed etiam ut parochus siquidem ex lusibus meis accessit aliquid vestrae festivitati. Nunquam equidem speraveram tam dextrum in illo poematio Apollinem, ut talibus palatis placeret, nec ut sedecim annorum aetatem ferret foetus in auras temere projectus, non consilio conceptus, non cura formatus. Quando tamen bono suo fato tam amicos inventit susceptores, non fraudabo illum sui genii beneficio, nec vos vestra expectatione. Immo vero liberalius agam cum liberalibus; adjuncto fratre juniore paulo curiosius composito. Utrumque vestro omnium arbitro-expono, et permitto. Edite in lucem, quando putatis placere posse. sed editum fovete: patri, ut coepistis, favete, et contra Catonum censuram defendite ludentem inter pueros senem. Quod autem rem aliis amicis negatam vobis concedo, rationes, fuerunt locus et personae. Crimen hic est inter nos esse Poetam, nec sani cerebri habetur qui post primam lanuginem in Parnasso somniat. Vobis istic alia est sententia, quibus placent Musae etiam cum sua canitie. qui delirii accersitum Sophoclem lecta ejus tragoeadia absolvitis. Porro in hoc litterarum generre Reges cum sitis, merito Judicum partes sustinetis,

ut

ut nemo ausit vestris arbitriis derogare. Atque hoc me  
in periculosa alca consolatur, quod, quem semel ves-  
tro calculo approbaveritis, nemo audebit condemnare.  
Tibi vero, Vir Praestantissime, iterum atque iterum  
gratias ago, quod de facie ignotum tam amice compel-  
lasti, quod me tuo amore dignum putasti, quod deni-  
que foetus miselli curam subire dignaris. Ut referam,  
nil aliud possum, quam ut petitioni tuae subscribam,  
quod libens volens facio. Mitto igitur priorem Hymnum  
correctum: cui, adacta supellectile, secundum adjun-  
xi. Mallem utrumque inscribi libri nomine, quam Hy-  
mni. Caeterum magis sollicite excusarem hujus operae  
levitatem, nisi argumentum cum arte meae conveniret.  
Ut ut sit, nunquam paenitebit tantis auctoribus in sce-  
nam prodiisse. Epigramma tuum elegantissimum in  
fronte apparere gaudebo, ad operis et opificis ornamen-  
tum; qui tibi in hoc amicitiae vestibulo animum et ma-  
num in pignus aeternae sinceritatis porrigit. Vale.

Londini 18. Feb. M. DCXXV.

TA-

Est. 7



*Nicotiana tabaco*



T A B A C O L O G I A ,  
S E U  
C A R M E N D E P A E T O .

LIBER PRIMVS.

Innocuos calices , et amicam vatibus herbam ,  
 Vimque datam folio , et læti miracula fumi  
 Aggregdior . Tu qui censu decoratus Equestri  
 Virtutem titulis , titulos virtutibus ornas ,  
 Antiquum et Phæbi nato promittis honorem ,  
 Tu Paddæe fave : nec enim præstantior alter  
 Morbifugæ varias vires agnoscere plantæ ,  
 Inque tubo genitas haurire , et reddere nubes .

Da puer accensum selecto fictile Pæto ,  
 Ut Phæbūm ore bibam : quis enim sine Sumine Pæti  
 Digna canat Pæto , et tantis se comparet ausis ?

Non inventa homini humanos adolevit in usus  
 Nobilis herba , patri sed primum visa Lyæo ,  
 Cum madidus siccus thyrso subduceret Indos ,  
 Notuit , ad seros , et claruit inde nepotes .

Forte per æstatem tesquis arentibus hostes  
 Norat in insidiis meditari prælia Bacchus ,  
 Arma jubet celeresque jugo subjungere lynces ,  
 Bassaridasque sequi , Silenum accedere curru  
 Mandat , et in pugnam totis exardet habenis .  
 Pone sequebantur lixæ , jumentaque multo  
 Tarda onere , et lentis congesta viatica plaustris ,  
 Et claudus senio Sileni vector asellus :  
 Dumque volat furiata phalanx , inimicaque quærit  
 Agmina , per vastas et lassa vagatur arenas ,

A

Di-

Dira fames, urgetque siti, defectaque succo  
 Membra labant, desunt ipsi sua munera Baccho;  
 Amphora Sileni curru subversa jacebat  
 Amplo exhausta sinu; sitienti ambusta dehiscunt  
 Ora Seni, ardentes dum dicit hiatibus auras:  
 Mænades, et satyri, multumque proterva juventus  
 Impatiens scrutatur aquas per viscera terræ,  
 Nequicquam; de se tandem sibi pocula quærunt,  
 Et salsum potant, quem dat vesica, liquorem;  
 Pocula spurca nimis; sed et hæc quoque pocula desunt  
 Increscente siti, venis et deficit humor.  
 Spes tum accisa omnis, faciesque miserrima rerum  
 Apparet; tostas alij de faucibus atris  
 Exhalant animas: alij per mutua fundunt  
 Vulnera, quem rapiant ante ultima fata, crux.  
 Jamque acies moribunda cadit quum valle remota  
 Eminus obscuri facies confusa vireti  
 Visibus occurrit dubiis: tumque Evius altum  
 Inclamans, duremus, ait, tanti per in armis,  
 O Socij, optatam vicina in valle salutem  
 Aspicio: hic lento toto conamine gressus  
 Accelerant, renuuntque mori, venasque supremo  
 Sanguine manantes animae spiracula claudunt.  
 Utque propinquabant, altis se prodit opacum  
 Stipitibus nemus, et folijs spectabile vastis.  
 Euge! meis, clamat, cognatam vitibus herbam  
 Agnosco, munusque Deum. Sed plura volenti  
 Surda manus, latas tenero de caudice frondes  
 Carpit, et ignoto latrantia viscera succo  
 Demulcet; viridis stillat sub dentibus humor.  
 Non tamen oblatas Sileni provida virtus

Prae-

Praecipiti vorat ore dapes, sed cautior usu  
 Haeret ab exemplo documenta abstemius optans.  
 Nec mora: quis patulis lateat sub frondibus error,  
 Eventus docuit: totis (mirabile) castris  
 Evomitur, caditur que velut cum gurgite pleno  
 Ingruit admissi miranda potentia Bacchi;  
 Volvitur in gyrum tellus, caelumque videtur  
 Nubibus adductis surgenti occurrere terrae:  
 Tum sopor obrepit, somnique invicta cupido  
 Germanam dubia praesagit imagine mortem;  
 Capripedes mediis diffusos stertere arenis  
 Cernere erat, disjecta solo defessa furentum  
 Membra Mimallonidum devota jacere sepulcro.  
 Mox ubi discusso longi languore veterni  
 Plenior ex adytis in singula membra recurrit  
 Spiritus, amissae redierunt corpore vires.  
 Surgere tunc alacres, pedibusque insistere firmis,  
 Et fulgere oculis, thyrumque vibrare lacertis  
 Fortibus, absentesque lacescere vocibus hostes.

Attonitus monstro, non huc sine numine, amici,  
 Appulimus, Silenus ait: nec dona Deorum  
 Despicite, ingenitas vires, nec nomina Bacchi,  
 Nec pudeat certa salvos à morte fateri  
 Caelitus ostenso vitam debere Tabaco:  
 Adyenisset enim languentibus integer hostis,  
 Victa siti manus haec cecidisset victima ferro,  
 Tinctaque venisset victoria sanguine nullo;  
 Nunc veniat, validasque manus, animosque viriles  
 Sentiat, et, si mens suadet, fera praelia tentet:  
 Sed rationis opus; superum nec munera caeco  
 Contemeranda usu, si quid sapit ista senectus,

Viribus eximiis permistum in stirpe venenum  
 Delitet: in ventrem virides ne mittite succos,  
 Mandite nec folia ingestis confusa salivis:  
 Virus inest crudis: aestivo sole recocta  
 Credibile est tutos praebere halatibus haustus;  
 Nec ventri, at cerebro, ( si tecta evolvere fas est )  
 Pabula grata reor, subtilibus eruta fumis.  
 Quare agite, ô juvenes, tam digni muneris aptos  
 Ingenio, e rapidis extundite mentibus usus.  
 Dux ego vester ero; quid mens dictaverit, omnes  
 Accipite; arentes prolixa uredine frondes  
 Comminui manibus jubeo, cannaquo reponi,  
 Protinus educto radiis solaribus igne  
 Contingi, et positis adversa parte labellis  
 Exsucti calidas nubes adducere fumi,  
 Ocyus ut possint cerebri pervadere flexus,  
 Vinosisque leves recreare vaporibus auras.

Dixerat: hinc satyri teretes aptare oicutas;  
 Deciduas alij sicca fuscedine frondes  
 Frangere: pars tubulos arsuro pulvere complet,  
 Pars stricto ore trahit ( risumque sodalibus affert )  
 Pulvereum flumen, tussesque inducit iniquas.  
 Ipse pater fremitus vana et conamina risit.  
 Igne carent, ignem votis ardentibus optant.  
 Ecce senex densum, quod habebat mantica, vitrum,  
 Depromit, vafri inventum subtile Promothel  
 Furati aeternas caeli de fornice flamas.  
 Hic latet ignis, ait: suscepto e sole rotundum  
 Molliter acclivi depresso in vertice centri  
 Frondibus admovit phaebo penetrabile vitrum.  
 Cuspidis in morem radiis concurritur, auctus

Inde calor sensim serpit, fomentaque circum  
Arripit, e fumo vicinum nuntiat ignem.

Applaudunt satyri, faunique, senemque magistrum  
Attollunt humeris, vocesque ad Sidera tollunt;  
Ipse cavam ante omnes accommodat ore cicutam,  
Leniter adducit nubulæ mirabiles haustus,  
Et ductos patulis fumos è naribus efflat.  
Nec mora, permotus subita dulcedine, toto  
Corpo diffusum sentit gestire vigorem,  
Ut solet à noti faecundo flumine Bacchi  
Serpere paulatim non intellecta voluptas.  
Ora madent: non salsa sitis, non vexat acerba  
Esuries, vomitusve: levi vertigine tantum  
Crura vacillare, et supremam udescere frontem  
Percipit, illaesus sed et haec yanescere gaudet.

Tum vacuus densa Paeti porrectus in umbra,  
Omnigenūm ut patuit facunda scientia rerum,  
Dulcibus absunit lentas sermonibus horas,  
Explicat ingentes opulentæ mentis acervos,  
Ludenti et similis Naturae arcana recludit,  
Implicitos memorat sphaeris caelestibus orbes,  
Compagemque hominis, terrae et miracula pandit,  
Addit et oraclis docti libamina fumi.

Fumantem sequitur circum diffusa juventus  
Ipsa novis operata tubis, fumoque fraganti;  
At rudis ore vomit naso reddenda patente  
Nubila cum multa tussi lacrymisque jocosis,  
Ridicula, appressis animam quae claudere labris  
Nescit, perque cavas iterum depellere nares;  
Docta sed exemplo grandaevum aequare magistrum  
Efflando satagit, repletque vaporibus auras;

Dum-]

Dumque hilares animis laeta vitulantur in herba,  
Ecce venit fessis longum expectata ministris  
Annona, et multo ferventia dolia vino.  
Clamores geminant, versisque ad cantica canis  
Gaudia agunt, epulisque favent, multumque vocatis  
Iumentis, reducique senis gratantur asello:  
Indulgent Cereri primo, tum Massica libant,  
Viteaque admistis alternant pocula fumis,  
Cuncta fremunt fumo, cantu, mistisque choraeis,  
Donec dulcem oculis fudit nox alta soporem.

Postera ut illuxit laetis aurora, ferique  
Admonuit belli securas pace phalanges,  
Lenaeus pater, et Sileni cana senectus  
Extimulant, si quos festivi hesterna diei  
Fregit Luxuries, animosque hortatibus addunt.  
Sat poculis, genioque datum; nunc praelia mentes  
Sollicitant; positas assumite vultibus iras,  
Et forte instanti dextras componite pugnae,  
Ne vigil incaute palantibus ingruat hostis  
Et cadat ipsa suas caedes non ulta juventus.  
Nec virtus equidem nobis incognita vestra est,  
O Socij, magnis neque non confidimus ausis,  
Sed nocet ignavas quamvis contemnere turmas,  
Securosque mali ignotis incedere terris.  
Impavidi ergo animis sedato insistite gressu,  
Neu mala nos iterum letho paenuria multet,  
Agmine composito lenti procedite, Paeto  
Non sine contrito, promptisque ad labra cicutis,  
Et levibus fungis, servato et restibus igne;  
Hoc animi surgent ad praelia, nubibus istis  
Prodigiique nova specie terrebitur hostis.

Este viri, famam et factis sperate perennem.  
 Dixerat: assensum properant applausibus omnes,  
 Et sibi quisque suo stationem corpore servat.  
 Arduus in curru medio pater agmine Bacchus  
 Eminet, impexi tergo Silenus aselli  
 It comes, haud equidem bellax, nec idoneus armis,  
 At bonus eloquio, et subitis dare tuta periclis  
 Consilia: aequales utrimque excurrit in alas  
 Densa acies, hostemque animis pugnacibus optat;  
 Nec procul hostis abest: vicini vertice montis  
 Oppiso emergit, summisque hastilibus extat.  
 Bassaridis calido fervescit pectore sanguis,  
 AErea sistra manu quatunt, et tympana pulsant,  
 Vino acidunt iras resides, haustoque Tabaco  
 Excludunt lethi faciem, suaque agmina circum  
 Nube tegunt atra: spirantes naribus ignem  
 Procedunt: medio glomeratur in aequore nimbus  
 Igne micans, tonitruque fero, fumoque stupendus.  
 Ostento attonitos subitus pavor occupat Indos,  
 Non homines sed furva rati de faucibus orci  
 Numina, consternati animo certamen iniquum  
 Detectrant, trucibusque timent configere monstris.  
 Pars fugit, et positis quaerunt velocius armis,  
 Quam dare victoris mallet clementia, vitam;  
 Pars orat veniam, parere et jussa modestis  
 Imperijs paciente jugum cervice capessit;  
 Sed pudet erroris, stulta et formidine tactos  
 Extimuisse piget vani sufflamina fumi:  
 Libertate dolent serva, solatur at illos  
 Indulgentis heri condita lepore potestas,  
 Et victoris amor: simili discrimine victos

Victoresque videt bellis utrinque remissis  
 Una dies miscere epulas , Bacchumque ciere,  
 Et simul alternis fummum potare cicutis ;  
 Mirantur bona nata domi , nec nota queruntur ,  
 Et nebulas animi jucundis nubibus arcent.

Atque haec prima fuit mortales stirpis in usus  
 Notitia , haec late noti cunabula fumi.  
 Jam quae vis lateat plantae , quibus apta bibendo  
 Corporibus et pugnet contraria morbis ,  
 Musa refer , geniumque novo concede labori.

In primis non una subest natura stupendo  
 In folio : adversis dives virtutibus omnem  
 Exuperare fidem gaudet , stirpesque beatas  
 Provocat : hellebori robur , rheabarbara duras  
 Solvere nata alvos , facientem gaudia vitem ,  
 Balsama vulneribus laudata , fabamque suillam ,  
 Nepenthesque animi mulsum , gravidumque papaver .  
 Magna Dei virtus , quae tot miracula rerum  
 Seminis exigui tantillo cortice clausit !  
 Quod licet haud superet cineris , vel laevis arenae  
 Fallentis digitum et numerantia lumina , molem ,  
 Mox dabit ingentem frondoso tegmine sylvam ,  
 Et certa in dubijs promet medicamina morbis .  
 Quod si quis tantas rimari indagine causas  
 Aggreditur , multum immani sub pondere sudet ,  
 Seu diversa Salis mirae substantia plantae  
 Compositum esse dedit , multis e dotibus auxit ,  
 Seu simplex varijs obnoxia casibus una  
 Materies alias pro mole et tempore vultus  
 Induit , atque aliter disctincta in corpora regnat ,  
 Naturae latet in gremio , nec cernere primum est.

Si

Si tamen exemplis libeat velut indice filo  
Ire per anfractus dubios errore viarum,  
Inque sibi similes Totum dissolvere partes,  
Forsitan occurret, quo mens placata quiescat,  
Etsi non verum, at veri illucescat imago.

Quicquid inest rebus sapidum, discernere gustus  
Quod valet, id salis omne solet de nomine dici;  
At gemina est natura salis; vel funditus haeret  
Corporeae moli, ad superas nec tollitur auras  
Suppositis flammis, cineri sed figitur acri;  
Dictus et hinc fixus: levior vel ab igne solutus  
In sublime volat fumo subvectus amico,  
Accrescitque apici in morem fuliginis atrae;  
Inde Sophis à re sal ille volatilis audit.  
Hic aliud memori occurrit ratione tenendum,  
Viscera quod terrae salibus praegnantia multis  
Stirpibus innatis faecunda alimenta ministrant  
Ut sua cuique trahit proprium natura fluorem.  
Fructibus hinc sapor accedit, hinc floribus omnis  
Spirat odor, retinentque sui vestigia succi.  
At tellure latent penitis confusa cavernis  
Sulfurei latices, nitri glacialis amaror,  
Lethale arsenicum, flammis affine bitumen,  
Argenti liquor in faedam resolubilis auram,  
Chalcantumque acidum, linguaeque astrictor alumen,  
Atque alia inumeros factura elementa sapores.

Si quis jam excutiat prolixo carmine, de tot  
Principiis, cui accepta ferat sua munera Paetum,  
Comperiet tanto dignum sudore bitumen,  
Cuius in eximia species supereminet herba,  
Pingue,olidum, acre, tenax, nitro sublime volanti,

Ignis amans, crassaque ferens fuligine fumum  
 His pictam in tabula quicunque coloribus herbam.  
 Non videt, hunc oculis captum, et rationis egentem.  
 Crediderim: quid enim magis aspectabile? dextram  
 Trita oleo faedat, digitos et glutine viscatur,  
 Et solidat crudum lento ferrumine vulnus,  
 Sorditatem ulceribus salsugine terget amara,  
 Nec putrere sinit; sensum nam faucibus acrem  
 Impingit, longumque relinquit in ore calorem.  
 Latè fusus odor virosa vividus aura,  
 Dissipat ignavum cerebro torquente veternum,  
 Siccatur et illuviem eductis sternumine mucis.  
 Denique in aereum flammis conversa vaporem  
 Faeta salis vivi, superasque volantis ad arcas  
 Pervia spiritibus mentis capitolia scandens,  
 Supplementa nova exhaustis animalibus infert,  
 Atque hebetes subito restaurat acumine mentes.

Planta beata! decus terrarum, munus Olympi!  
 Non tantum agricolis duro lassata labore  
 Membra levas, minuis victus absentis amorem,  
 Fundis, et absque cibo sparsas in corpora vires;  
 Sed radium specimenque Dei sapientibus ipsis  
 Ingenium illustras, si quando aut multa tenebras  
 Colligit ingluvies cerebro, aut molimine longo  
 Intellectus hiat, rerum neque concipit umbras,  
 Conceptasve tenet, vel caeca oblivia regnant;  
 Ut semel irrepsit blando lux indita fumo,  
 Aufugiunt nubes atrae, curaeque tenaces.  
 Vis micat inventrix, dempto velut obice veli  
 Tota oculis animi patet ampli machina mundi,  
 Aeternae species Naturae ex ordine nexae

Succedunt, redeuntque suis simulacra figuris.

O quoties visus magna spectante corona  
 Orator populi cupiditas dicturus ad aures  
 Contremuisse metu, docti sermonis acervos  
 Confundisse locis, lingua et siluisse rigenti,  
 Quum memor ex tantis opibus sopita facultas  
 Nil daret in vocem, sed res et verba negaret,  
 Si modo vel micam generosa è stirpe vorasset,  
 Fumanti tubulo, accenso seu lumine, sensim  
 Res reperisse suas, prendisse fugacia verba,  
 Thesaurosque animi populo exposuisse stupenti!

Si duo praeterea Stagirae in pulvere docto  
 Laudis amore novo, verive cupidine pulsi,  
 Pugnam agitant, verbis et digladiantur acutis;  
 Omne animi intendunt robur, nervosque fatigant  
 Nexibus impediant cautum ut subtilibus hostem,  
 Aut validum incusso rationum pondere sternant.  
 Stat circum pubes, pulcri et certaminis aequas  
 Arbitrè ingenii aequales utrimque lacertos  
 Mirantur, crebris vires applausibus augent.  
 Tandem obtusa acie, ut fessis deserbuit ardor,  
 Lentior et validos insultus lucta remissit,  
 Sorbeat alteruter, sacrum refletque vaporem,  
 Illicet ut tacta Antaeus tellure, resurgit  
 Firmior, exhaustumque recens grassatur in hostem;  
 Jejunus cadit, at sequitur victoria potum.  
 Sin utriusque placet nova de suffimine tela  
 Arripere, et calidam verbis producere pugnam:  
 Tum videoas paribus momentis praelia saeva  
 Eventu dubio in multam crudescere noctem;  
 Nec prius argutis discedere ab ictibus ambos,

Indefinitam abscindant quam taedia litem  
Judicis incerti, palmae cui praemia donet.

Sic quondam Iliaco bello par nobile fratum

'Asclepij sanguis Podalyrius at que Machaon

Fertur ab Atride indictum certamen amicis

Suscepisse odijs plantae de laudibus Indae.

Damnabat Senior lingua tenuis intus amatam,

Dissimulans veros sermonis acumine sensus;

Junior in fratrem jaculis ardentibus ibat,

Et pro dilecta pugnabat serius herba.

Cordatum ante tubam potarat uterque Tabacum,

Impiger ingenium praelato accendere fumo,

Et mucronatis mentem gravidare sagittis.

Multa hinc inde agili vibrata hastilia lingua,

Multa retorta iterum, crepero nec pauca duello

Ulla fuit nisi quam fumi dabat haustus amaeni;

Unde renascentes stabant ad praelia nervi,

Invictusque furor carum prosternere fratrem,

Donec inexhaustis crescentes viribus iras

Ancipitem et litem sententia magna diremit

Regis inauditae gaudentis honore palestrae:

Robore sic proprio ceciditque stetitque Tabacum.

Et nunc de fumo gravibus confligitur armis.

Usque adeo nil scire datur dubitabile quod non

Ingenij faciat cita vis et gratia linguae.

Sed me perplexi ingressum spineta Lycaeì

Pensi alio textura vocat; quibus herba salubris

Principiis constet, vero mihi carmine dictum est:

Nunc quibus illa viris faveat, quibus illa resistat,

Quosque ferat, pellatque aegro de corpore morbos,

Expediam, simul ut calicem siccavero Paeti,

AEdibus et vacuis succreverit aucta supellex.

DE

D E P A E T O  
LIBER SECUNDUS.

**T**ollite vos ignem, tubulosq; : sat aetheris haustum est ;  
Dum calet ingenium , dum sensibus integra vivis  
Versantur simulacra , fidem exolvamus amicis ;  
Odimus immemores ; Mundum nec pascere fumo  
Aggredimur , vanos aut ampullare per orsus :  
Instat segnices , et Phaebo invisa senectus  
Tristibus impallens curis divertia Cirrhae  
Mandat , et extreum Musis offerre laborem.

Dicite Pierides , domitis quae gesserit Indis  
Liber , ut immanes populos moderamine legum  
Mollierit placidus , quernosque ligonibus enes ,  
Et truculenta levi mutarit fercla Tabaco ,  
Vt mores , geniumque pater Silenus amaenae  
Stirpis , et innumeros ludens evolverit usus :  
Forsitan haec qui vos bifido de monte per aequor  
Transtulit auratam Boreae regnator in aulam ,  
Audiet , et , tanto si non indigna parente  
Funditis , innatum quanquam aversatur odorem ,  
Vestris perfusum violis , animaque suavi  
Inter pulvilos variata mente reponet.

Vt sedit solio Victor , non tristibus armis  
Saevit in vitam vel opes , nec durus abactis  
Indigenis statuit dominos , nec more tyranno  
Optavit metui , metuit non ipse timentes ;  
Lenibus alloquijs , et majestate remissa  
Partus amor populi , facilis clementia mores  
Erudit , glebamque jugo parere suasit .  
Terra feris infamis erat , Lyncesque , lupique ,

Tigres et celeres pardi , mistique Leones,  
 Impune insidias pecorique virisque parabant ,  
 Tollere nec cladem intentis in mutua bella  
 Cura fuit , maior sed erat meliorque voluptas.  
 Finitimos flammis vexare et caedibus agros ,  
 Et coctos calidis hostes apponere mensis.  
 Non tulit immanem ingluviem , qui temperat aestus ,  
 Sanguinis inque siti pacis suffundit amorem ;  
 Uastitem lustrare cupit , regesque cruentos  
 Visere , et ingenuas crassis dare mentibus artes.  
 Assumit numero è magno , quos indolis esse  
 Sciverat urbanae , calicum sed largior usus  
 Vitaque liberior , nervisque inimica libido  
 Fecerat effaetos , at nobilis aura Tabaci  
 Compositusque labor , caelique nitentior haustus  
 Sensim reddiderat reparatis viribus aegros .  
 Amphoram , Balanumque legit , comemque Neandrum ,  
 Jucundos comites , totidem quibus addit amaena  
 Fronte viros , luscum Pelian , genique sagacis  
 Idmona , caerulei ridendum tubere nasi ,  
 Pauperis et barbae metuentem scommata Trullum .  
 Haerebat sociis , et clam post terga subibat  
 Olim gratus aper , casu sed surdus iniquo  
 Non adeo , ut solitus , suavis comes , atque facetus ,  
 Iussus abire manu , invitus sub tecta redivit .  
 Regulus Haematoës , quo non truculentior alter  
 Vicinos capere , et captos prandere , tenebat  
 Non procul imperium vastis inclusus in antris ,  
 Turpis ubi laniena fuit ; juvenumque senumque  
 Corpora vincta iacent stabulis , pinguique polenta  
 Ingratam cumulant in gaudia dira saginam :

Huc

Huc canibus, jaculisque plagisque sequentibus omne  
Cornicinum sonitu et mistis latratibus agmen  
Vertit iter, nec longe aberat domus atra Tyranni,  
Qualem Dis habitat: primo venientibus antri  
Os immane patet; congestis ossibus albet  
Limen, et affixis apparent culmina tectis,  
Consitus ut scolymis horrescit edulibus hortus:  
Quum capita in squamas longis crevere medullis.  
Forte dies genialis erat, Lapithaeque repotis  
Instruere altilibus convivia lauta parabant.  
Agminis ad strepitum cauea caput exerit Heros  
Mulleus, et virides exponit vertice plumas:  
Mox refugit visis, venit alter, et alter, et antri  
Interiora petunt, portam vecte parato  
Claudere, nec miram meminere excludere gentem:  
Dum tenet attonitos caecus timor, ilicit Idmon  
Primus in ignotos audet penetrare recessus,  
Cum cane nasuto; sequitur mox caetera pubes  
Palpans in tenebris, nisi qua per summa receptus  
Tecta viam ostendit sub opaco lumine splendor,  
Silenus medio, extremo tutissimus Evan:  
Perveniunt tandem, ducit quo nidor, in aulam  
Ferventem fremitu, facies ubi dira culinae  
Perculit ingressos primo, plenique lebetes  
Fumantum capitum, vernibusque infixa columnis  
Multa virum femora, et stillantes lancibus armi;  
Faemineique coqui cinctis circum ilia peplis.  
Non procul in clathris porcorum more jacebant  
Corpora dena virum festo servata propinquo,  
Dum crescant adipes, lacrymis quos Liber obortis  
Praeterit. Haematoem attenta dum nare molossi

Vestigat, penitoque latenter affatur in antro,  
 Surge miser, vultusque hominum consuesce tueri:  
 Venimus innocui, caedes nec caedibus istas  
 Ulcisci est animus; veniam donamus avitis  
 Ritibus, et placidos gerimus sine sanguine mores.  
 Si crux est cordi, pugnandi et tanta libido,  
 Bella movete feris, armento arcete leones:  
 Parcite vicinis, turpes nec ventribus escas  
 Indite, nec faedis postes ornate trophaeis.  
 Non est illa lupis rabies: non tigride tigris  
 Pascitur, irato nec fit leo caena leoni:  
 Tollite ferales epulas, et condite terra  
 Tristes reliquias, dapibusque fruamur honestis.  
 Ille nihil clarum; obscuros modo gutture mittit  
 Grunnitus, torvumque tuens, non sponte monenti  
 Obsequitur, pavidosque jubet parere clientes;  
 Tumque abit annona infelix, meliore parata  
 Succedunt verubus jucunda absonia mundis  
 Cervorumque suumque tori, leporesque anatesque  
 Venantum, et quicquid dederat labor.  
 Advolvuntur humi ( nec enim conjungere mensas  
 Hora dabat ) Bacchus primum vetulusque magister,  
 Tertius Haematoës; nullo mox ordine seni  
 Procumbunt comites, tum picti terga sodales.  
 Fata juvent; nunquam dextras junxisse fideles  
 Paeniteat ( rex Liber ait ) faelicia sint haec  
 Faederis incaepi primordia: ponite amici  
 Ritus immundos, facilique assuescite vitae:  
 Tuque adeo, subitos aditus, nec libera, frater,  
 Condemna alloquia ingenui firmamen amoris;  
 Proderit hoc olim hospitium, nec vestra juventus

Uti.

Vtile subsidium vitae didicisse dolebit:  
 Hoc tu pignus habe, quo nullum sanctius optes.  
 Dixit, et undantem vino cratera recenti  
 In piger exhaurit, secto quod palmite nuper  
 Arboris aëreae repetito effluxerat ictu,  
 Vtribus et plenis stabat prope: suscipit ingens  
 Bellua, et epoto miserorum sanguine, tetram  
 Nam prius aspectum nectar deturbat in alvum,  
 Emittitque olidae ructamina cruda popinae.  
 Subrisit Pelias: narem compescuit Idmon;  
 Euuius increpuit nutu, et sermone benigno  
 Non bene constantis vultum firmavit amici  
 Euge yirum! ut vero placuit liquor? ille subaudax,  
 Fronte supercilioso ad verticis ossa retractis,  
 Est bonus iste cruor, quounque e gutture fluxit;  
 Vix melior pueri imberbis, si quis mihi porro  
 Praebeat, haud verear patinam sorbere secundam.  
 Quod poscis dabitur: sed pocula jungere poclis  
 Et turpe et nocuum. Nescis bone, qualis in isto  
 Sanguine saevitia est; proprio te discere damno  
 Non patiar. Forte ex alijs sine crimine nosces.  
 Ut vero patrias crassae caligine mentis  
 Ignoratis opes! hebeti tam grata palato  
 Munera succiso de cortice sufficit arbos  
 Obvia, nec sumptu, multo nec emenda labore;  
 Sponte suos praebet lanianda securibus artus,  
 Fundit et aeternos redivives fontibus amnes:  
 Cedite, legitimos terrae bona vertite in usus,  
 Ducite nec pulcrum humanis pinguescere venis;  
 Et terrae sinibus serpentum more latentes  
 Luce, virisque procul naturae extinguere lumen:

Sunt vobis hominum vultus, sunt pectora, nec mens  
 Degener, intrepidaeque animis ad prælia vires;  
 Tot bona cur tumulo infoditis? de fronte character  
 Humana perijt, nec quam vis sanguine pastis,  
 Sanguineus color est. Tumido sed luridus ore  
 Pallor inest, oculique latent, discrimina nasum  
 Nulla genasque inter; facies vesica videtur:  
 Tempora nuda pilis, putri labra turgida tabo,  
 Et nigro trepidi promanant sanguine dentes.  
 Vix animam trahitis, nervis attollere costas  
 Non datur, injecto ceu pondere pectus anhelat:  
 Est piger excussis genibus gradus, et dapis almae  
 Nullus amor, sed humi juvat edormire veternum.  
 Hanc situs, et nunquam soli nec pervia ventis  
 Antra dedere luem, spurcoque obsonia succo;  
 At magis ira Deum mensis accensa nefandis  
 Intulit immundam resoluto robore pestem;  
 Et jam barbariem luitis, potumque cruentum  
 Redditis impuro, qui vos infecerat, ore,  
 Ut moniti quaeratis opem: sed nec bona vestra  
 Nec mala novistis; tantus stupor occupat aegros.  
 Cernitis accenso prognatum pulvere fumum  
 Nare venire Senis velut exhalante camino?  
 Pulvis hic herba fuit: vobis vicina Tabaca  
 Nomine vix noto clarum dedit insula nomen.  
 Hinc finem sperate malis: tu cane Magister,  
 Cui natura parens rerum momenta suarum  
 Credidit, ingenium remedi percurre, modumque  
 Nec differ miseris optatam afflare salutem.  
 Hic, paulum tabulo amoto, flammaque moratus,  
 Magna jubes, dixit. Si quae tamen auribus istis

Dig.

Digna putas, dicam; detur modo vita, recensque  
 Libertas miseris, pedibus quos fune ligatis  
 AEgrotos stabulis in faedo stramine vidi.  
 Annuit Haemathoës: solvuntur vincula claudis,  
 Prorepunt geminis mixi, sua quique gerentes  
 Ore mala; et lucem veriti tetigisse supremam;  
 Vultibus obscaenis laetâ ductantur in aulâ.  
 Non tenuit lacrymas vetulus Pater. Eia, sodales  
 Vivite, ait, vitam meliori at ducite fato:  
 Nam licet, et dabitur: latet isto condita buxô  
 Vestra salus, modo sit servari certa voluntas.  
 Tu miserande Senex, muriam pro sanguine venis  
 Qui generas, cui crura labant luctante podagrâ,  
 Purpurei stillant, hebetesque arctantur ocelli,  
 Caecus eris, si spernis opem, sed ab arte medelam  
 Sufficiam; et tumidis albo suffimine buccis  
 In pileum nebulam inspirat, vultusque seniles  
 Protinus includit junctis ad tempora limbis.  
 Excipit ore senex mordentes lumina fumos,  
 Et patitur jussus spe consolante dolorem,  
 Exprimit imbre oculis, videt acrius omnia circum,  
 Plenius admissa detersis luce fenestris.  
 Atque potest adeo salebrosa in nare Magistri  
 Eminus extantes oculo numerare pyropos:  
 Namque rogatus uti in naso quae cerneret, et quot  
 Diceret, ostendit digitos, et, fraga tot, inquit,  
 Aspicio in nostris nascuntur qualia sylvis.  
 Ilia concussi Vetulus, risere sodales.  
 Dignus es articulis sine nodo; age sugito, dixit,  
 Claude labrum, et laxis expira naribus auram:  
 Sugit, et expirat; sed porro injussus, ut antrum

In gyros volvi, et turbari ructibus alvum.  
 Sensit, humi recubans confertim cruda remittit.  
 Frusta, et multiplices, quas ante voraverat, offas,  
 En podagrae exitium: sic fonte revellitur ipso.  
 Succus edax teneros rodens sine dentibus artus.  
 Hoc bis agas quum luna latet, cumque orbe recrevit.  
 (Tum latebris turgent succi, tum mobilis humor)  
 Post laeves patinas, et prandia pinguis omasi.  
 Sic ubi cisternam illuvie, primamque cloacam  
 Terserit, humores ablatis faecibus ibunt.  
 Purius, articulis blanda, et sine sorditie acri.  
 Nutrimenta fluent, quo nec faecunda malignis.  
 Relliquijs acidi pungentur acumine nitri,  
 Torta nec in duram concrecent vincula cretam;  
 Tum levitate pedum Satyris certabis, et ipsas  
 Sponte tua poteris saltu ductare choreas.  
 Quod si pauca tamen salsae vestigia labis  
 Exuperant, hausti blanda torpedine fumi  
 Vanescent, nec hebes sensus, velut ante, dolebit.  
 Hac ope non podagrae tantum cruciamina cessant,  
 Sed porrò coli rabies, sed volvulus atrox,  
 Gutturis, et faeda tollens discrimina sedis,  
 Et capitis clavus, et sibilus auris adurens  
 Mitescunt subito, nec post injussa recurrent,  
 Si modo quis constanter amat, nec jurgia curat  
 Conjugis in fumum insontem maledicta vomentis,  
 Oscula quod vitiet, nitidas et conspuat aedes:  
 Vir fuit antiquae fidei, nec moribus asper,  
 AEquoreas habitans morboso in littore sedes  
 Labe nova infames; quos ceperat acre venenum.  
 Frendebant medio terebrati abdomen, mox ut

Re-

Repserat extremos morbi violentia in artus:  
 Tensa velut valido membra omnia fune rigebant,  
 Nec vis ulla super, nec motus ulla facultas.  
 Ille malo arreptus, Phaebeas jugiter artes  
 Implorabat inops, dedit et medicamina Phaebus  
 Nequicquam, at solitis conatum lusit in herbis,  
 Donec inauditam melior fortuna medelam  
 Praebuit, et faciliter reparavit damna Tabaco.  
 Inde colit munus Divum, multosque per annos  
 Obtinet illaesam fumo constante salutem,  
 Cum prius incerto vitae, tremulisque lacertis  
 Importuna lues, ne cum superata rediret:  
 Nempe salis pungens acies obtusa sopore  
 Desijt in molles mucronem intendere nervos.  
 Sic ubi radicem dentis deterrimus humor  
 Vellicat, ardenterque inflavit tubere duro,  
 Qualem offert nucibus conclusis simia, buccam,  
 Fumus in os veniat parvoque ut tempore clausus  
 Manserit, extemplo, gemitusque tumorque recedent.  
 Sic aliae migrant afflito corpore pestes,  
 Quas mala conceptae salsuginis aura creavit.  
 Labentes pluviae sublimi e fornice tecti  
 In teneros folles, quibus insita flamma movendo  
 Vivit, et in numerum flatu modulante, sovetur,  
 Densatae in media pendent regione, forasque  
 Ante, levis quam sit membrana arrosa, feruntur.  
 Quid referam tumidas fauces, laqueumque latenter,  
 Hellucum, et subita dubios vertigine gressus,  
 Clangosaque brevi minitantia flumina nares?  
 Omnia mulcentur fumo, si provida cura  
 Maturat, seras nec opem producit in horas.

Sunt, quibus occultis mordax contagio membris  
 Offecit, seu spurcites nitrosa canales  
 Raserit urinae, vel apertum faecibus anum:  
 Hinc quoque luctifco requiem sperate dolori  
 Qui matulae ingemitis, qui clavos inter acutos  
 Horrida Caucasei depingitis ora Promethei.  
 Non ego vaticinor, Parnassi aut somnia fingo;  
 Nota loquar, quaeque ipse prius crudelia sensi,  
 Quam facies Paeti mirandaque nota foret vis:  
 Namque (fatebor enim) luxu transacta juventus  
 Cum Baccho, Satyris, et suavi isto comitatu,  
 Hic illic vetulo rimas in corpore fecit,  
 Subjecitque malis, quae magna est nosse voluptas,  
 Sanasse utilior, nostroque probata periclo  
 Certius in populi juvat usurpare salutem:  
 Sed quia par cura est tristes expellere morbos,  
 Et validos servare habitus, quae cautio sanis,  
 Discite, quis ve modus, nec enim omnibus omnia prosunt.

Oderunt alij natura, ut triste venenum,  
 Deficiuntque animo ad folij fumantis odorem,  
 Stulte alij damnant, novitas quia displicet omnis,  
 Quod sine Paeto atavi meliores stirpe sequenti  
 Concessum à superis egere salubriter aevum.  
 Abstineant ambo: nec enim pugnare decorum est  
 Naturae, aut rectam invitis infundere mentem.  
 Si quis amat, sapienter amet, nec Simius alter  
 Consilio, et sine fine aliorum irrumpat in actus.  
 Sunt qui fumum ideo, ut potent tantummodo, potant,  
 Vrbanos interne non habeantur amaeni,  
 Prosit ne an noceat sibi susdeque ferentes:  
 Rusticus ille, malusque pudor: nam vel juvat haustus,

Vel

Vel laedit. Te ipsum noscas , et idonea fumo  
Corpora , ne sero tandem tua damna queraris.

Si cui grande caput prostanti fronte rotundum ,  
Lati humeri , pectus patulum , torosaque membra ,  
Sub cute obesa caro , pituitaque multa palato ,  
Is bibat impune , et repetito indulgeat haustu ,  
Si libet , et justos sumendi respicit usus :

Parcius attingant graciles , quibus ardua cervix ,  
Frons angusta , caput minimum , praecordia pressa ,  
Excarnesque genae , et pauca mucagine narés .

Ollis spirituum ut brevis est annona cerebro ,  
Obruitur facile conferti aspergine fumi ,  
Haud secus ac nebulae hyberni caligine solis .

Compositi validis biberint si largius aequo ,  
Occupat ignavos torpor , defessa quietem  
Membra petunt , nervis velut ex aetate solutis ,

Mane tremunt , altaque obeunt in luce soporem .  
Quod si praeterea roseus color inficit ora ,  
Et subeunt tusses , et densus anhelitus , illum

Ejurare tubos jubeo , carosque sodales ,  
Ne redimat nocuos vitae discrimine lusus .

Illi pulmo flagrat , putrive uligine turgens  
Febrim corde foveat , lentoque absolvitur igne .

Sed si tantus amor fumi , nec tendere contra  
Vota libet , caeco ratio sed cedit amori ,

Bechion arenem sumat , fumumque capessat ,  
Non metus hinc fuerit , sed spes non vana salutis :

Nec moderatus enim accedit calor , at levis aura  
Vlcerat desiccat , saniemque e pectore ducit .  
Denique si qua véhit tectam causa abdita tabem ,

Seu mala per totum diffusa injuria corpus ,

Seu

Seu cita febris erit, laesi vel visceris aestus.  
 Ah! tibi ne tanti sit perniciosa voluptas.  
 Declina illecebras, et quamvis parcere durum,  
 Parce tamen, certae et caveas auctaria cladis.

Est etiam quandoque, ut, qua data porta, subinde  
 Erumpat susdeque crux, lethumque minetur,  
 Et vomitu ruat, et laxis fluat alyus habenis:  
 Quidquid contigerit, feralia pocula mitte,  
 Nec libeat nocuas immittere faucibus escas:  
 Sanguinis hinc fluvij crescunt, vomituque ferocit,  
 Vitaque disiectis tandem cum faecibus exit.

Judicio hic sistor rationis tollere visus  
 Quod posui: nam si Paeti gravis herba soporat,  
 Et sopor excrementa tenet, damnatur inique  
 Quod juvat et laudem meruit, bene praemonet, inquam,  
 Quisquis is est, nodum neque dissolvisse pigebit:  
 Hunc ergo jubeo in mentem revocare, quod olim  
 Sanximus, adversas simul hic subsistere vires;  
 Nempe sale hinc stimulat naturam pellere tardam,  
 Ac veluti vivis pigram calcaribus urget:  
 Parte alia exhalans nebuloso sulfure somnos,  
 Sistit, et effusam facili compescit habenā.  
 Ac velut indomitus sonipes luxta ilia fossus  
 Evolat, et fraeno deinceps parere recusat;  
 Sic ubi depultrix validē movet, et retinendi  
 Vis labat, ut leviter tacta est, ruit impete multo,  
 Nec motam retinere leve est, nec tollere lapsam,  
 Et magis effluxisse nocet, quam clausa manere:  
 Vsque adeo multum est rerum momenta, modumque  
 Temporaque, et quae sit cunctis natura, tenere:  
 Sic virtus viget ipsa, viget quoque corporis aetas,  
 Vtraque deliquio tandem nimioque labascit. Nil

Nil melius vino; vinum tamen omnibus aequo  
 Non datur in cyatho, nec sugitur omnibus horis;  
 Immo etiam quandoque necat, quandoque furorem.  
 Suscitat, interdum rationem largior haustus  
 Obruit in spatium, quo mobilis orbita coeli  
 Volvitur, inque locum reddit unde exiverat ante.  
 Solvitur interea strictis nisi crapula vinclis,  
 Ebrius expirat, saltem expirasse putatur.  
 Haud procul exemplum: nuper Satyriscus Adonis,  
 Dum tua festa colit, rex ò Lenaee, sepultus  
 Et vino et somno, sub terram ut mortuus iavit;  
 Postridie effossus vitae manifesta receptae  
 Signa dedit, capite effracto, manibusque cruentis.  
 At miser adversus mortem cubitoque genuque  
 Confligens, animam clausa colliserat arca.  
 Quid tam funestum nostrae adversarius arti  
 Objiciat? nulli, quantumvis multa, obeundi  
 Causa suit, mentem nulli, quod constet, ademit:  
 Contra laetitia in magna, dum pocula salutis  
 Ordine discurrunt, si quis temerarius ardet  
 Jura insana sequi calicum, pugnamque lacescit,  
 Ne titubet ratio, aut gressu titubante vacillet,  
 Arrapiat tubulum, medicam intermisceat auram,  
 Surget inoffenso vultu, bene condita verba  
 Sobrius exponet, sumi dum nescia turba  
 Instabilis prodet vibrantes fronte lucernas,  
 Et gressu insolito dabit irrigoribus ansam.  
 Nempe tuus fumo, Bis-nate, retunditur ignis,  
 Mobilis et rabies blando torpore quiescit.  
 (Nec ferat invidiam quae dat tibi copula laudem)  
 Non melius lapidi Herculeo Chalybumque metallo  
 Convenit, optatum quam quaerunt vina Tabacum:

Sic operas praestant inter se, junctaque multo  
 Nobilibus sapiunt, quam degustata seorsum.  
 Denique mortales, quantum est, conducit in usus,  
 Nec quicquam, ut suis occisi, non utile; flammae  
 Qui superat post fata cinis rubigine faeda  
 Defricat, et flavos facit excandescere dente:  
 Fumus et ipse (nōvum auditu) consistere jussus  
 Paret, et emissus per conniventia labra,  
 Ore manū impresso, fulvum densatur in unguem  
 Virginibus carum, quibus à serpigne longa  
 Prurit scabra manus, manantibus undique rimis;  
 Laevigat admotum, et splendorem inducit eburnum  
 Non sine portento; nec parvo gratia constat.  
 Namque per arcanos penetrabilis aura meatus  
 Cor quatit, et stomachi vincis utrimque solutis,  
 AEolium ventis subvertit olenibus utrem:  
 Sed vita incolumi, ridentibus affatim amicis,  
 Inde metus totus decus inde doloribus emptum.

Jam bona decerpsi; nunc si quae incommoda ab usu  
 Obveniunt, seu sint vere seu vera videntur,  
 Expediam, longa nec vos ambage morabor.  
 Insimulatur enim, clarae quod mentis acumen  
 Obtundat, speciesque locis posituque decenti  
 Confundat tenebris, et nigra oblivia ducat:  
 Crimen atrox; sed quod vel prava calunnia finxit,  
 Vel bona simplicitas: non est, quia non potis esse:  
 Immortalis enim cum sit mens, ortaque caelo  
 Portio, corporeis non est obnoxia damnis.  
 Actio recta quidem, si laeditur instrumento,  
 Laeditur ad tempus, causā durante, sed ipsa  
 Mens intacta manet, quanquam, ceu nubibus atris  
 Circumfusa latet, radiosque occultat inertes.

Non aliter Phaebi quam lucida tela Dianaee  
 Intercepta globo, vel tegmine nubis opacae,  
 Tempore non longo nostris tolluntur ocellis;  
 Nec minus ipse tamen sincero candidus orbe  
 Ardet, et innumeris lucem communicat atris:  
 Sic animo nulla est, animi nisi crimine labes:  
 Desidia, et luxus, levis inconstancia, et ira  
 Ingenium obtundunt, lumen rationis inumbrant,  
 Permiscentque notas tabulis, et nomina delent.  
 Quilibet id meminit quod amat, crebroque revolvit.  
 Da mihi de multis fumi potoribus unum,  
 Creditor, aut plenae cui sint oblitera crumenae,  
 Scrinia, despontae vel notum limen amicae,  
 Et dabo de fumi multis osoribus octo,  
 Aut plures etiam, proprium cognomen, et actae,  
 Hesterna, et patriae oblitos elementa loquelae.  
 Scilicet aut nocuum virus, vel pestifer ignis,  
 Aut morbus subito sumens à verbere nomen,  
 Aut nimium palpata Venus vergente senecta  
 Laeserat officium cerebri, nec congener aethrae  
 Spiritus eversa poterat durare fabrina.  
 Quod si praestanti folio suppressa periret  
 Vis reminiscendi, cur tot praegnantia rebus  
 Pectora vastitatem quaesitae laudis amarent?  
 Qnalia nota, quibus nihil ignoratur eorum,  
 Quae callere licet, quibus est dilecta voluptas  
 Condere res animo, populique astante corona  
 Condita mente prius memori diffundere lingua!

At thalamos contristat iners, piger halitus, ipso  
 Castior, abstrusas partes qui fascinat, agno.  
 Audio faemimeas voces; nam muscula virtus

Laudarit potius rabidi sufflamen amoris.  
 Non hodierna quidem infirmi querimonia sexus;  
 Matronis odium est, ex quo Vulcania conjux  
 Frigore suspectam gelidis certare cicutis  
 Inferri in Cyprum vetuit Cytherea Paphumque,  
 Bello nempe redux inter convivia Divum  
 Evius ut domitae obtulerat nova gaudia terrae,  
 Jupiter ante alios, et cum love Mulciber et Mars  
 Atlantisque Nepos, et nectare plenus Apollo,  
 Fumivonis olidam simularant naribus AEtnam.  
 Ridebant novitate Deae, sed nocte sopora  
 Offensae statuere suo depellere caelo  
 Thessalicos ritus, vigilesque tenere maritos.  
 Ergo postridie simul ac fumosa supellex  
 Prodit, prima Venus caepti manifesta protervi  
 Involut in mercem, buxuque et pulverem, et ignem  
 Tam facilis Divae Superis mirantibus iras  
 Subversos pedibus summo deturbat Olympo.  
 Sic lasciva Cypris insanij: at Jove nata  
 Bellatrix, nemorum Virgo, Pindique sorores  
 Sparsas reliquias gremio legere, patrumque  
 Thyrsigerum obnike nova supplementa rogarunt,  
 Subsidium et voto gratis retulere pudico.  
 Ingens opprobrium verò, si Cypridis aestum  
 Temperat, imperium menti, membrisque vigorem,  
 Virtutumque decus rara virtute tuetur:  
 Non extinguit enim nymphae aut cannabis instar  
 Naturae instinctum; sobolis nec munera tollit,  
 Fors numerum minuit; sed fraeno arctata Cupido  
 Quod demit numero, generis bonitate reponit.  
 Grande bonum, si vel tenuis fortuna parentum.

Non:

Non premitur multâ prole, aut respublica gaudet  
 Fortibus et justis potius quam plebe frequenti,  
 Utilis hinc adeo senibus, primaequa juventae,  
 Frugalesque cado in summo sibi praestat, et imo,  
 Dum celeres flamas cineresque subinde tepentes  
 Aut sedat subito, aut ut fusâ diluit undâ,  
 Stultitia facilis canos, pubemque furore,  
 Indeque prognata solvens vertigine Mundum.  
 Ne despecta tamen vestris prorsum exulet hortis  
 O dominae! in duris et habet sua commoda rebus,  
 Errantes uteros sursum trans septa ruentes,  
 Et tensum veluti ferientes ariete ventrem,  
 Si quando oppressus pulmo sablatus anhelat,  
 Deprimit, inque suas cogit descendere sedes  
 Ocyus, incumbens binum quam centurionum  
 Pondus, et impositi densissima sarcina plumbi.  
 Porro nulla seni, si vitea pocula demas,  
 Commodiora dedit mater bellaria tellus,  
 Seu servanda venit naturae annona fovendo  
 Humorem ingenitum, suavem fundendo vaporem  
 Arenti cerebro, pellendi aut sensibus hostes:  
 Namque aciem lippis acuit; cui stiria pendens  
 Nasum hebetat, reddit siccata nare sagacem,  
 Dissolvitque graves ventosa ex aure susurros,  
 In mentem, ut melius sapientum dicta recondat,  
 Colloquiisque diem morosaque taedia fallat.  
 Quod si quis damnosa luens delicta juventae,  
 Nocte crucem scapulis gestat, somnumque recusat,  
 Hic quoque solamen quaerat, requiemque labori;  
 Non tantum sopor in venas obrepet amicus,  
 Unde dolor cedat, sed, ne nox longa putetur,

Som.

Somnia pulchra dabit, rerum et spectacula viva  
 Offeret ante oculos. Non qualia monstra figurat  
 Torrida, bilis atrox, faba, lentes, caepa, faselus:  
 Allia, et altercum fatuum, manicumque solanum,  
 Si quis edit, medio in somno spectare putabit  
 Horrendas facies, confusaque saecla animantum,  
 Quae nec sunt, nec erunt, harpyas aequore nantes,  
 Aere centauros, fissâ tellure Draconum  
 Agmina, et ore nigro jaculantes Daemonas ignem.  
 Quin etiam in subita sibi tempestate videtur.  
 AEquore sorberi, et motis luctator in undis  
 Brachia anhelus agit, celsa modo rupe volutus  
 In mare collabi, sonitumque excire cadendo:  
 Latronum gladijs adigi. Modo compede fracta  
 Adspicit exertis insurgere dentibus ursum,  
 Auxilium in clamat nonnunquam vocibus altis,  
 Interdum gemitu. Donec formidine somnum  
 Excutiat, puncto necis expperrectus in ipso,  
 Exanimis gelido perfusus membra madore.  
 Longè aliter pictis nocturna aulaea figuris  
 Laetificat nostro eductus suffimine Morpheus,  
 Sensibus internis Naturae congrua singit  
 Privato et genio; quae quisque in mente revolvit  
 Luce vigil, vel amat, gratissima nocte recurrent.  
 Aulicus, orator, medicus, mercator, agyrta,  
 Navita, piscator, miles, auriga, poeta,  
 Agricola, et pictor, cerdo, patronus, amator,  
 Sopiti peragunt consueta negotia, non ut  
 Sponte rudes cernunt dubitanti lumine formas,  
 Vel nuper natam per euntia nubila lunam,  
 Esse putant quodcunque vident. Non segniter aurem  
 Incendunt dictis, atque entymemata cudunt; AE-

AEdificant versus, clarè quos manè fatentur,  
 Atque alia expedient alijs, ne somnia credant  
 Esse, nec affinem morti, nisi nomine, somnum.  
 Non lethaeus enim est opij sopor, omnia ferreis  
 Interiora ligans, immota ut lege, catenis:  
 Non etiam ambiguae turbatrix umbra cicutae  
 Sensibus injiciens illusis frivola vincla,  
 Quae nec mota tenent objectis membra figuris,  
 Nec penitus vigilare sinunt: sic altera Baucis  
 Et Philemon teneras caenati forte cicutas  
 Effossas in agro, quas falsi ab imagine formae  
 Crediderant siser esse, aut notae Bauçidis herbam,  
 Postquam fessa humili posuissent membra grabato:  
 Nec vigiles, nec adhuc somni sub pondere victi,  
 Exiliere toro; prior haec, mox ille, vagatique  
 Atria per tuguri brumali nocte, rigentes,  
 Attoniti pariter, deliria mira stupentes,  
 Livida de trabibus retulerunt membra grabato:  
 At sopitus homo claro spiramine Paeti  
 Gaudia pacifcae noctis transacta retractat,  
 Et vigil ad solitum redit aequâ mente laborem,  
 Si modò laudatum fuerit, non vile, nec arte  
 Fictitiumque dolis, namque omni electa Tabaco  
 Non eadem est bonitas: generosum ab origine prima  
 Asperum erit, densum folio, pullumque tuendo  
 Jucundum longè et late diffundet odorem  
 Permistum viola, aut aura radicis Etruscae;  
 Incensum referet gustanti rite palato  
 Assyrium Asphaltum, cauti vel Castoris orchin:  
 Quod folio tenue est, Autumni frondibus aequum  
 Quale in Virginia et Bermudæ nascitur arvis,

Abjice, et aurigis faenum, nautisque relinquere.  
 Pungit enim tunicas oculi, cerebrique volucra;  
 Qui bibet, ille graves ad opus mirabitur armos.  
 Pandiculator erit, malas diducet hiantes,  
 Et, nisi acuta fames stimulat, projectus ad ignem  
 Gaudebit seram stertendo adducere noctem.  
 Ante alios fugite, Musarum sancta propago,  
 Qui veterum è chartis Sophiae defossa metalla  
 Eruitis vigiles, deprensum per sua signa  
 Profligate scelus mangonum, et tradite flammis.  
 Est qui delicias alineo ex orbe petitas  
 Captat adulterio, dum, quam Scytha fuste peremit,  
 Miscet odoratae tabum ferale capellae.  
 Stillam aliis marathri jungit, vel pinguis anisi,  
 Chalcanthive notam, quae linguae affusa saporem  
 Exhibit, ut Lybicae mixta mellagine cannæ;  
 Omnia damnose, ne dicam molliter: artem  
 Qui Naturæ adhibet, matris nisi consulat ora,  
 Turbat opus, non addit opem: quod si tamen unquam  
 Lascivire libet, laudique adjungere laudem,  
 Sumite lignum aloes, cuius levis assula pleno  
 Fixa tubo totum fragrans perfundet acervum,  
 Et cerebri ventres grato recreabit odore.  
 Sed neque congestis dapibus conjungite fumos:  
 Inde coqui turbatur opus, si clausa superne  
 Ostia pulsantur, tum semielixæ deorsum  
 Fercula succensens mittit, quae didita chordis  
 Seditionem alvo ventosaque murmura miscent,  
 Sudum animo et placitis populata laboribus horas.  
 Pernitiosum etiam nudato admittere frigus  
 Vertice, vel vacuo Paetum potare camino:

Ver-

Verberat aura cutim, reclusa foramina stringens,  
 Trans galeam teneras convellit acumine fibras,  
 Et capiti pondus, horrorem crinibus addit:  
 Neu libeat solum calamo indulgere, nec ultra  
 Luxuriando modum cerebri complere cavernas;  
 Alternis sumatur; amant alterna Camiaeae,  
 Confertum natura fugit. Tibi terminus esto  
 Vertigo occipiens, quae, ni simul orta recedit,  
 Adhibe lene zythum, vel aperto sub Jove frigus,  
 Omnis et exigua sedabitur arte tumultus.  
 At postquam capitinis modulum cognoveris, intra  
 Fines curre tuos, nec te quaesiveris ultra.  
 Naturae quisquis servaverit ordine leges,  
 Ille mihi sanus, sapiens erit, atque beatus.

Talia ludebat Vetulus: narrantis ab ore  
 Heroum resupina cohors suspensa silebat,  
 Docta quidem vires, sed inops tam nobilis herbae  
 Progeniem optabat, renovandi et seminis artem.  
 Blaesus at ille siti, somnoque propinquior, uno,  
 Sed longo ut maduit, subito quoque stertuit, haustum  
 Nos veniam fati, fessi licet, et sitibundi,  
 Absolvemus opus, et quae Silenus omissit,  
 Summa Tabacophilis culturae arcana canemus.

Principio, ut messis respondeat ampla labori,  
 Sume medullosum generoso è germine semen,  
 Gui folium oblongum, crassum, nulloque pedunclo  
 Inseritur trunco, sed ab ipso stipite surgit.  
 Proxima cura loci; tam strenua planta recusat  
 Segne solum; felix animoso crescit in agro  
 Qualem vitis amat: colles, objectaque soliani

Arva legas, ubi terra levis, non marga lagoni  
 Obvia, non argila tenax, non obsita musco  
 Tesqua, nec impresso flentes sub vomere glebae.  
 Ne tamen egregiae quantumvis indolis agrum  
 Bis sere, si plena dicit te gloria messis.  
 Prima rapit faetura animae quodcunque virile est  
 Effetaque uterum delumbem in matre relinquit.  
 Verte solum, sedesque novas adscribe quotannis  
 Hospiti inexploto, fessis grotissima sulcis  
 Dum permitta quies pingui laetamine robur  
 Suppleat, exhausta et genium per viscera fundat:  
 Nactus agrum urge operas; ne sit solertior alter  
 Ordine descriptis spatiis pertundere terram,  
 Ternaque vel plura in parvum dare grana foramen,  
 Divisa aequali ut vegetabilis aura tenore  
 Inserat aequalem folia in ventura vigorem.  
 Quod si cassum aliquod fallit, vel cedit in escam  
 Muribus, aut rostro fodientibus omnia talpis,  
 Spes de reliquiis superet; si sospite turba  
 Densior ortus obest foliis, tabesque timetur,  
 Videris ut crebram tellure exurgere gentem,  
 Thrax esto, patriae leges imitare severas,  
 Imminuas numerum, multisque è fratribus unum  
 Linque solo, vacua melius quo crescat in area,  
 Attrahat et plenum nutricis ab ubere succum:  
 Mox abi pingue solum, longique in tempore soles  
 Luxuriem foliis dederint, in caudice robur,  
 Tempus erit terrae vicinas stingere frondes,  
 Major ut in summo claudatur cortice virtus,  
 Et ferat à justo bonitatis judice palmam,

At ne praecepites messem; ut nigrescere semen  
 Caeperit in calice, et folium mutare colorem,  
 Arma para, et cultros; vindemia nobilis instat,  
 Et merces operaे: luces optate serenas  
 Paeticolae; nec enim folio minus officit imber;  
 Quam September obest maturis humidus uvis:  
 Tunc mete: dimidia est tibi jam decursa laboris  
 Meta; quod hinc restat, curâ haud leviore gerendum:  
 Frustra etenim studium omne fuit, generisque solique  
 Gloria, ni summo veniat spectabilis actu.  
 Hic duo sollicito tibi sunt curanda labore:  
 Absumendus aquae, genitor putredinis, humor,  
 Ne simus è folio fiat, mox spiritus et vis  
 Ignea, quae pingui velut abdita dormit olivo,  
 Execienda, suos et deducenda per artus.  
 Ergo, ne aetheream Sol fervidus hauiat auram  
 Sub tecto, longa suspensa è cannabe paulum  
 Arescant folia, et parvo post tempore strata  
 Congere acervatim, calor ut collectus ab imo  
 Turgeat, et caecas distendat ad extima vires.  
 Sic cumulata tepent primo, tepefacta tumescunt,  
 Mox oritur sudor, sequitur nubecula fumi,  
 Et, nisi destruitur moles, transbit in ignem,  
 Ut portata domum nondum satis arida plaustris  
 Gramina constipata flagrant, tectisque minantur.  
 Tu disperge struem, suspende, iterumque reponere  
 In cumulos, seriemque tui pervade laboris,  
 Dum fervendo animae veniat vis omnis in actum,  
 Siccando, et maneat, neque diffundatur in auras.  
 Hic oculis opus, hic ductu rationis et use:

Nam brevis est nimij, brevis est quoque linea pauci,  
 Et gaudet natura modo; sed si tamen usquam  
 Peccatum, ut possis culpam sarcire, docebo;  
 Non ardente mero, aut muria, non melle, minusque  
 Auxilio matulae, mangonia qualia tentant  
 Caupones, pretij quibus est odor ante salutem;  
 Subsidium ex ipso posces; praelo exprime succum  
 Vilibus è folijs, quae dextrae incuria passim  
 Praeterit, tepidaque sinas spumescere in ollâ,  
 Decrepitum immergas labro, reddesque juventae.

Haec sat erunt: jam quaere ratem: merx ampla coloni  
 Augebit census, et vectigalia regum,  
 Mercantum et loculos; naulum fortasse medenti  
 Auferet, autumnos populo factura salubres.  
 Forte etiam è furca donabit prandia corvis,  
 Cessator si pauper emit, meliusque locandas  
 Diffat egestatis vicinae improvidus horas:  
 Sed bene dum modo sit frugalibus atque modestis,  
 Turba perire volens, pereat, quicunque salutem  
 Abnuit, is careat, nec rerum subruat usus.  
 Cui mala lis, ratis in pelago, praepostera conjux,  
 Aut dolor impatiens, nutans aut debitor aeris  
 Eripiunt somnos oculis, animoque quietem,  
 Is faciles leni folio debere fatetur  
 Inducias, meritamque refert pro munere laudem:  
 Quotquot in adversum judex morosior aequo  
 Evomit ampullas, ventis mandamus, et undae;  
 Orco devoveat, mox subventanea furvi  
 Daemonis ova vocet, placando et idonea Diti,  
 Persephones mulsum, Furiarum thus et odorem;

Et

Et de Cerbereā germen lethale salivā;  
Ridemus titulos, et verba poetica pleno  
Gutture laudamus, similique reponimus arte.  
Si quis amans veri nobis dissenserit, auctor  
Consilij alterius, quod pectore claudit, in albo  
Scribat, et hos sensus rectā ratione refellat.

DOCTISSIMI  
R A P H. T H O R I I

D. M.

*Amici intimi.*

Quod jam summa procul villarum culmina fumant,  
 Quod fumos babit omnis ager, babit omnis ab Aula  
 Ad caulam fumosa domus, quod pascere fumos  
 Fumosos equitum cum Dictatore magistros,  
 Quod pueros fumare juvat, fumare puellas  
 Mollius indignor. Quin tecum ignosco puellis  
 Et pueris, aulis, caulis, equitumque Magistris,  
 Prime pater Paeti, fumantum gloria, Thoari,  
 Non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem  
 Sedule; Te praetore magis lippire decenter  
 Quam lachrima ridente putant; jucunda cuique  
 Te Medico tussis cui nec pituita molesta est  
 Creditur instantes membris emungere morbos.  
 At mihi quod sacra latet in vertigine multo  
 Praecipuum est; Hos te calices fecisse disertum:  
 Haec aliquid certe fumo facundia debet.  
 Faecundi calices, felix vertigo, saliva  
 Nobilis, insignes lachrimae, gratissima tussis  
 Me quoque, si parcè videor laudare merentes  
 Insolitas calicunque super praeconia laudes,  
 Me quoque vicinis afflatum credite fumis,  
 Et sicco titubare mero: brevis iste futurus  
 Est furor: exierit sensim vesania primi  
 Turbinis, aggrediar stabilis de nare tepenti  
 Fundere cum fumis, quae vos per saecula vectent

Ver-

Verba, vetentque mori, nolint Jovis ira vel ignes.

Pro fumi! sed et hic furor est; ignoscite vobis,  
Fumosoque mihi: cessem fumare, tacebo  
Sobrius, et sapiam, labris encomia, lingua,  
Dentibus occludam. Quid enim, si TRORIVS unum  
Arguit ipse sui reliquum fecisse stuporem?

## IN E A N D E M.

C Armina spūtantur fumi potoribus, audi  
Massiliae si quem fumea vina juvant,  
THORIVS exemplo docuit spumantia multum  
Pocula, fumantes omnia posse tubos.

Quædaturæ leibitæ ab his se dicitur  
Qædaturæ leibitæ ab his se dicitur  
Hæc hinc mœtæ novæ nivisq[ue] p[ro]p[ter]a  
Tertium Cetimæ Tertium Cetimæ  
Tertium Cetimæ Tertium Cetimæ  
Hæc hinc mœtæ novæ nivisq[ue] p[ro]p[ter]a  
Sunt seculæ sicut illæ cunctæ  
Sunt seculæ sicut illæ cunctæ  
Sunt seculæ sicut illæ cunctæ  
Et cunctæ; mœtæ novæ nivisq[ue] p[ro]p[ter]a  
A[er]is cunctæ; mœtæ novæ nivisq[ue] p[ro]p[ter]a  
O[st]ra non e[st] Nost[ra] q[ui] p[ro]p[ter]a  
Sed illæ seculæ sicut illæ cunctæ  
M[od]i p[ro]p[ter]a illæ seculæ sicut illæ cunctæ  
**THRE-**

## THRENODIA NICOTIANAE.

**T**ILLA Ego, Francorum regalibus insita septis,  
 Reginae dicta Herba diu, vergentibus horis  
 Autumni flos notus, adore frondis honore  
 Adliciens animos, foliorum larga meorum,  
 Illorum succo saevos medicata dolores  
 Vulneris, et varios, tantum non integra, morbos,  
 Heu misera, heu, trador crudis innoxia flammis,  
 Atque hostes oblecto meos! proh fata! quid hoc est,  
 Quod non morte mea morior; nec mi<sup>hi</sup> mea mater  
 Tellus hosce oculos claudit; sed flamma perurens  
 Me totam absunit! Solo nunc nota Tabaci  
 Nomine; Reginae nomen, nomenque Nicoti  
 Aut Sanae et Sanctae (jam sacra et debita flammis)  
 Amisi, misera, heu tantum quae servor, urar!  
 Ergo igitur, quoniam ingratus mea dona maligne  
 Spernis, homo, nunc jure bono tua gaudia damnans,  
 Postquam uris quod amas, et amatae in funere plantae  
 Exultas, cinerum adsiduis te addico favillis,  
 Quamdiu terrarum dabitur Solisque potiri.

Ortus enim est aliquis Nostris ex ossibus Ultor  
 Petune Genius, qui quamdiu possidet arcem  
 Humanae mentis, tamdiu rationis egena,  
 Seria seponens nil magni cogitat unquam;  
 Sed nostris adfixa rogis, fuligine taetra  
 Aera conspurcans exhalant opaca mephitim:  
 Quae non de Nostro producta cadavere tantum,  
 Sed de nescio queis fucis et fraude recenti,  
 Efficit, ut proprii pereat Mihi gratia odoris;

Gratia sed maneat modo subcisiva , carere ,  
Qua nequeunt , quicunque favum fuliginis hujus  
Gustarunt ; nam sic cum sanis fascinat aegros ,  
Ut morbo gaudere suo videantur ; et optent  
Usque frui fumo , prætextu sive catharri  
Sive alio affectu ; quum mens non sana laboret ,  
Et Mihi det poenas ; nam fumus gloria prima ,  
Et desiderium ; sed mi lacrumabile funus .

Hic Te præ reliquis *Wingandecauva* ministris .  
Teque *Tabasco* reas facio : tum quisquis in Orbe  
Occiduo super es qui Nostram subvehis herbam ,  
Ut pascas fumo fatuos : Te devovet idem  
Iste Meus *Genius* , Tibi ne super ulla quietis  
Hora siet ; sed *Francus* , *Iber* , *Britto* , atque *Batavus* ,  
Dum lucrosa Tibi fingunt commercia , tandem  
Servili tua colla jugo submiſtere quærant :  
Et merito : nam vos fumosæ tegmine mercis  
Sic dementastis populos , ut Martia corda  
Nunc fumos solum spirent : tum munere vestro  
Omnis in hoc sæcli nostri consistit honestas ;  
Flant cineres , ut multa spuant , fumosaque ructent .

*Vos Asiae , Europae , gentesque Libystidos orae* ,  
Crudelitate levi quia sacrae illuditis herbæ ,  
Et nidore meo gaudetis ; solvite poenas  
Has Mihi , quod nunquam cessabunt tristia bella ,  
Et quod nullus amor populos nec foedera jungent :  
Sed Vos tamdudum sequar atris ignibus absens ,  
Quamdundum inter Vos plus Nostri pulveris haustus  
Et cinereis , Herbæ quam succus , honoris habebit .  
Barbaries terris succedet ; pristina virtus

Exilio se sponte suo multabit amaro :  
 Nec Vos ante suo dignabitur Illa revisis,  
 Quam *Bona Mens*, Nostros tandem miserata labores ,  
 Humano generi gratissima *Diva* redibit.

Tunc Mea stirps cultis secure crescat in hortis ,  
 Et Me non ignis sed Fati finiet hora :  
 Tunc hominis , demum mucus cineresque perosi ,  
 Non sentina magis , putrisque cloaca , Cerebrum ,  
 Nec fumi , velut ante fuit , domus atque caminus .  
 Sed *Rationis* erit sedes : in seque reversus  
 Seu postliminio tractabit seria Mundus .

NOTAE AD PRIMAM  
TABELLA.

**E**xhibet tibi, Candide Lector, hæc tabella formas tubulorum aliquot, quales apud Indos creberrimi sunt usus: etsi non diffitemur in tantis regionum Indicarum spatiis, tot locorum, civitatum, capitum ac proinde et sententiarum dissidiis magnam sane varietatem hic illic observari: et ab his ipsis multum differre alios, potissimum iis locis quibus luxus deliciæque et divitiae Persicarum nationum propinquiores contagio sui morum simplicitatem vitiarunt. Sed de his postmodum dixerim, nunc, quod præ manibus est, aggrediar, et quid sibi velint tres illi totidem distincti literis tubi, brevi annotacula declarabo.

A. Primus ergo ea est longitudine ac propemodum forma, quæ et apud nos passim usurpatur, materia tamen multum a nostratis diversa. Ex lapide quippe, cui color viridis, ex quo et pocula, alia diversi generis vasa fabrefaciunt, ea de causa quod vim ei tribuant venenis resistendi. Porro partis ejus anterioris dimidium ex rubro conflatum est ære.

B. Secundus, quem exhibet litera B., multo quidem maior, longitudine æquat brachium virile: lignea ei materias artificio tornatili dedolata, cuius in extremo apice AEthiopis residet effigiata sculptura. Ipsa theca ne vi-

delicet accenso Tabaco lædatur, intrinsecus oblita atque incrustata, nescio quo genere plumbaginis. Sed et extrinsecus tum ad ignis vim nonnihil, opinor, retundendam, tum ad tubi ipsius conservationem sinuosus ille flexus, qui thecam mox excipit, redimiculo plumbeo ~~ceu~~ cathena torquatus.

**Tertius** similiter ex ligno compactus, similiterque theca intus adversus incendium præmunita, sed hoc maxime intercedit discriminis, quod superior uno, eoque continuo ligno constabat: hic autem ex duobus invicem conjunctis, commissura juxta ipsam thecam redimiculo ex lamina æris rubri cincta. Thecam vero ipsam concedit fereque amplectitur caniculus, cui et torques itidem ex ære. Cæterum longitudo hujus secundum etiam superabat.

A. Britton et alii ex hoc longioribus ac prolixioribus  
textis de rebus suis narrantur, multe  
tamen dubia et dubia sunt, cum  
nonnullum a posterioribus  
aut certis annis, ac duo et boc autem  
anno propositum, ac quod est certum  
deinde rescribuntur. Posto huius etiam  
ad hanc questionem, ut quaevis  
ad hanc questionem se referat.

B. Secundum etiam et aliis  
concordem: sicut in primis  
notis, nonnulli rescribunt  
curva extrema rotundata, curva in extrema rotunda,  
vel rotunda extrema, quae latitudine  
est.

## NOTÆ AD SECUNDAM

**TABELLAM.**

**J**Am vero tuborum Persicorum effigiem , atque utendi modum verbo uno atque altero explicemus . Persarum enim fere propria est , et nobilibus plebisque usitatisima hæc Nicotianæ sugendæ ratio . Tubos ditiōes ex auro vel argento , pauperiores e stanno sibi concinnant . Sunt autem gemini semper , eaque forma conjuncti , quam in tabella expressam vides : quibus sic utuntur , ut iis in lagenam demissis aqua semiplenam refrigeratum Tabaci fumum ore trahant omni prorsus acrimonia retusa . Lagenam igitur accipiunt vitream , quæ contineat verbi gratia libras tres liquores : ei infundunt aquæ clarae et puræ circiter libram unam , vel paulo amplius , quo spatii aliquid relinquatur ad fumum Tabaci recipiendum et stabulandum ; immisso per orifidum utroque tubo : uno videlicet Tabacum continente , altero per quem fumus ejusdem alliciatur ; quorum illius extremitas tantum a fundo ipsius vasis distat , quantum hujus aquam ipsam supereminet : supereminet autem latitudine unius quasi pollicis . Quæ ut clariora fiant , non inutile fuerit singula accuratius delineare , atque ob oculos Lectori proponere .

**A.** Hæc theca est ac tubis , quem vides ad fundum fere usque pertingere , quo per aquam transeat , corrugaturque fumi Tabacini acrimonia , priusquam usibus cedat humanis .

B.

B. Tubus alter est ori inserendus, per quem fumum adducas priori contiguus ac inseparabilis, tantoque brevior, quanto par est, ut aquam ad dicti pollicis latitudinem superemineat.

G. Patella est orbicularis, palmæ unius magnitudine, ad excipiendos e theca, si qui forte prolabantur ab accenso Tabaco, carbunculos, et scintillas.

D. Cochlea in orificium lagenæ striatim inserenda. Eam vero oportet fortiter adigi introrsum, quo et omnis aeri introitus præcludatur, et omnis prohibeatur inclusi fumi evaporatio.

E. Operculum, cochleatim dedolatum, quod e stampo constare solet.

F. Hic apparet, quo modo à sugentibus fumus Tabacinus per aquam alliciatur: Deorsum, videlicet, violento motu agitur, atque e fundo vasis per bullas erumpit fuga vacui, ut Philosophi loquuntur. Nec enim natura ullum sustinet vacuum in hoc mundi theatro consistere.

G. Hoc spatium est, quo fumus colligitur; unde et per tubum hauritur præparatus et edulcoratus aquæ beneficio.

## NOTAE AD TERTIAM.

### T A B E L L A M.

**E**adem est horum instrumentorum utendi ratio, quæ superiorum; forma tamen diversa, pauloque commodior. Tubus ille, quo fumus hauritur aliquanto longior, eo fine, ut scilicet per hand orificii sui ab igne distantiæ sugentem calore minus afficiat. Interea non negaverim tractu ipso, et mora diuturniore ipsam quoque acrimoniam quadam tenus retundi. Sunt et alia quædam structuræ hujus arcana, quæ subjectis literis declarantur.

**A.** In hanc spatii cavitatem confertim ingeruntur Tabaci exsiccata folia.

**B.** Pars hæc inferior in thecam subjecti tubi inserenda est, eique ad medii protuberantis redimiculum fortiter coaptanda.

**C.** Hæc illa theca est, ac pars superior tubi, in cuius cavitatem summam sic inserenda est vasculi Tabacum continentis perforata portio, ut latera tamen et continentia et contenta exiguo interstitio separentur.

**D.** Porro et tubus ipse, et subjecta vasculo patella, et lagenæ operculum, quod litera D. insignitum est, eidem lagenæ striatim copulantur.

E.



E. Denique etiam in hoc instrumentorum genere cochleam, quæ orificium lagenæ ambit ex stanno confidunt.

Ingeniosus et ille modus est, quo pescatores circa Bantamam et Jacatram utuntur. Hi quoties navigationi sesse accingunt, quod ignem navigio circumferre inconsultum omnino videatur, hac ratione sibi prospiciunt. Arundinem accipiunt cavam, eamque crassissimam; in quam adductum Tabaci fumum halitu immittunt, atque e vestigio, magna autem solertia, dictam arundinem sic obturant, ut ne minimum quidem fumi ejus expirare valeat. Hinc aperto foramine, quoties et quantum libuerit, accipinnt, labore pescationis defatigati.


### F I N I S.

F. Per a pede interior instrumentum applicari potest, ut eius ad meum instrumentum intermissionem tolli possit.

G. Hec illi species est, ac base absorbita cum suis operariis summius sic instrumentum esse aere illi lapideo continet, periorum portio, ac ferre levem est continetur et ornata ex quo instrumentum abservatur.

H. Ponto eti tipus iste, ac apertos instrumento leviter te iugos obsecutum, duxit iste D. intelligentem et quisius regum arbitrii colligatur.





Santos. f


No Arco do Cego.





Fig. 1






Correa Vieira

N. Andrade Cego.








Santos f.

No Arco de Eg. 32

~~✓ 18419~~



30.00

